



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvomodo Differt Doctrina De Ivstificatione in Ecclesiis nostris, à Papistica  
doctrina?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

Spiritu mortificabitis actiones carnis, viuetis. Item: Nulla nunc  
condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

QUAE PECCATA NON SVNT IN SAN-  
ctis? id est, propter quæ illi qui fuerunt renati, amit-  
tunt gratiam & Spiritum sanctum, & rursus  
sunt rei æternæ pœnæ?

RESPONSIO. Propter peccata contra conscientiam, & lapsus  
contra fundamentum, id est, contra articulos fidei, renati amittunt  
Spiritu sanctum, & fiunt rei æternæ pœnæ, & nisi rursus ad Deum  
conuertantur, ruunt in æternas pœnas, ut Adam vere fuit reus æternæ  
iræ propter lapsum. Et Paulus inquit 1 Corinth. 6. Scortatores, adul-  
teri, homicidæ, &c. non possidebunt regnum Dei. Item Gal. 6. Ma-  
nifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, idololatria, &c. qui  
talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et Matth. 12. expresse de-  
dictum est: Redit Spiritus nequam, &c. Et 1. Petri 2. Cum redeunt ad  
vomitus ut canes, fiunt eis postrema deteriora prioribus. Aliqua-  
tem proflus per pœnitentiam redeunt ad Deum, ut Adam, Aua,  
Dauid, Manasse, & alij multi.

## DE PECCATO BLASPHEMIE.

DIFFERVNT NE PECCATVM  
contra conscientiam, & blasphemia?

RESPONDEO. Prorsus differunt. Dauid habuit magna & tri-  
stia delicta contra conscientiam, & tamen non fuit blasphemus. Nunc  
peccatum contra conscientiam est genus, id est, uolatio cuiusvis  
mandati, quæ fit a sciente & uolente. Sæd singularis species  
est Blasphemia, quæ est contra conscientiam oppugnare agnitum ve-  
ritatem à Deo patefactam, uel perseverantia in Epicureo contemptu  
Dei, uel desperatio, aut anteferre peccatum meritis filij Dei, contra  
dictum: Exuberat gratia supra delictum, sicut Cain inquit: Manus  
est peccatum meum, quam ut remitti possit. Non fuit autem blasphe-  
mia in illis, qui redeunt ad pœnitentiam, ut in Aaron, Manasse, Pe-  
tro, Paulo. Et nos regulam tenere debemus: Omne peccatum  
remitti agenti pœnitentiam, & fide amplectenti promissionem gra-  
tiæ, promissæ propter filium Dei, iuxta iuramentum: Vivo ego, dicit  
Dominus, nolo mortem peccatoris, &c. Item: Venite ad me omnes,  
qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

QUOMODO DIFFERT DOCTRINA DE IUSTI-  
ficatione in Ecclesiis nostris, à Papiistica doctrina?

MULTIPLICITER differt. Sed tres præcipue antichæ-  
sint in conspectu. I. PRIMVM Papiistæ dicunt, oportere homi-

mereri remissionem peccatorum proprijs operibus, & coram Deo iustos esse proprijs operibus. II. SECUNDO dicunt Papistæ, cum nemo sciat quando satis operum habeat, semper maneat in dubitatione, an sis in gratia. III. TERTIO dicunt Papistæ: Homo potest in hac vita legi Dei satisfacere, & impletione legis diuinæ mereatur vitam æternam de condigno. Et quidem dicunt monachi, homo non renatus Spiritu sancto, potest efficere dilectionem Dei, & mereri remissionem peccatorum.

CONTRA hos Ethnicos errores, qui delent lucem Euangelij de beneficijs filij Dei, clare docent Ecclesiæ nostræ: I. PRIMVM, neq; mereri homines remissionem peccatorum proprijs operibus, neq; coram Deo iustos esse proprijs operibus.

II. Secundo, Propter Filium Dei gratis homines in conuersione accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem, sola fide, & sic homines certo iustos esse, id est, reconciliatos Deo propter mediatorem fide. Nec manendum est in dubitatione, sed fide vincendam esse dubitationem. Qui vero iubent manere in dubitatione, profus delent Euangelium de promissione gratiæ & de fide, & tantum Ethnica somnia docent, & extinguunt lucem doctrinæ de filio Dei, & impellunt homines in desperationem & æternum exitium. III. TERTIO, certissimum est, in hac vita neminem habuisse neq; habere integram legis impletionem, nisi ipsum mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum. Sed tunc erit integra legis impletio, cum Deus erit omnia in beatis, id est, cum lucebit in eis Deus, ita ut non simul sint reliquiæ peccati. Notæ sunt enim sententiæ Rom. septimo & octauo. Et dictum Psalmi: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

## DE ECCLESIA.

## QVID EST ECCLESIA?

ECCLESIA visibilis in hac vita, est cœtus visibilis amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & recte videntium Sacramentis, in quo cœtu filius Dei efficax est, & voce Euangelij & Spiritu sancto multos regenerat ad vitam æternam. Sunt tamen in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

## CONTRA.

Articuli fidei non sunt visibiles,  
Ecclesiam esse est articulus fidei,  
Ergo Ecclesia non est visibilis.

RESPONDEO ad maiorem. Concedo articulos fidei, scilicet propositiones, non esse visibiles, seu ut est vilitata phrasis, Complexum non est visibile, tamen subiecta in multis propositionibus

A a 3 visibi-